De Wal
Miscellanea
(4051-68)
f. 184v a vlg

Gerardus Eligii te Antwerpen.

Quanta etiam Antverpiae pertulerit alibi quasi per transennam indicat, et credere nos iubet quod in eodem loco voluptatis eximiae virtutes et singulares colantur, ut continentia usque ad tenuissimum victum leguminum et terrae-nascentium tantum, quotidiana et perpetua ieiunia chameuniae, vigiliae, patientia denique usque ad quotidianas mortes crucesque neglectas, intra quinquennium duo Rectores difficultatibus et denique morti cesserunt.
Audivimus (pergit Gerardus) vituperationem multorum commorantium in circuitu; dum dicitur nobis quotidie: Regem (Rectorem) non habent locustae. Dum diffamantur in nos peccata disciplinae, dum urbis theatra, compita fora perstrepunt in nos et dicunt: Insolventes sunt, pauci facti sunt et vexati; divisum est cor eorum, nunc interibunt. Felices utcunque essemus in his malis nostris, si intellegeremus quantum sit Dei beneficium lingua detrahentium compellunt enim nos

ad Deum, qui nos maledictis et detractione
lacerant. Sed et iste sensus nobis deest
nam ad has voces obstupuimus, et elanguit
f. 185 omne robur nostrum. Dum enim declinant
in nos verba malitiae, dum fingunt nos san-
guescere avaritiā, dum comminiscuntur nos
illius serpentis esse genimina, qui cum ter-
ram comedat omnibus vitae suae, non veren-
tur nos foetus eius dicere, quos terrenis re-
bus et terra satiat. Quid enim, inquiunt,
avidius captant hodie filii lucis (qui sane
prudentiores sunt in generatione sua filiis
Adae) quam latas possessiones, latifundia,
rus (?) in urbe? Negotiantur, licentur, ha-
bent quaestui militarem annonam, deposi-
ta et mutuum negant. Invaserunt publici
iuris fundos, viculos et plateas civitatis inter-
vertunt, mutilant domos et immutant
erecta deiiciunt, deiecta erigunt. Et ne quis
impedimentum possit afferre Magistratus ar-
mantur auctoritate, quam timor illis, et
adulatio pronum et obedientem finxit.

De Wal
Miscellanea
f. 185
vervolg

Exaggerant deinde indignitatem facti ab exemplo et simili, dum eadem de Minimis et Discalceatis, et universaliter de omnibus sanguifugis fingunt ordinibus. Intrant, inquiunt, ut vulpes, circumeunt ut canes (urget enim auri sacra fames) ac denique dominantur in urbibus ut leones. Evertunturque totam naturam, nam cum olim soliti sint habitare in desertis locis (nam desertum proprie domus est leonum) iam leones et vulpes assueverunt inter homines. Hae sunt voces multitudinis, et hoc est murmur urbis huius....

Haec ipsa eloquentia qua pollebat, sed Satyra quibusdam videbatur, res est numquam meliori titulo putavit sibi petendum spirituale (seu singulare precum) beneficium a R^{do} Patre generali quam quod missus fuisset ad hanc novam plantationem inchoandam, quamvis non obtinuerit, Deus tamen ut spero erit eius merces magna nimis.